322 135




DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.


FACULT. DE MEDECINE DE PARIS

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſextâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. JACOBO-LUDOVICO ALLEAUME, antiquo Facultatis Decano, & Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum, necnon in Inſulis Americanis nuper Medico Regis, Doctore Medico, Præſide.

An Vulneribus & Ulceribus ſuccus gaſtricus ?

I.

ULTIMUM vitæ terminum homini commonſtrantibus morbis quibuſcumque, ſanitati ipſius infenſis, ille quæ ſibi ferret auxilium naturam advocavit. Quas inter omnigenas maternâ manu largita fuit opes, quaſdam ad vitam ſuſ-

C. 25

tentandam necessarias cùm experiretur, quasdam alias, ad ejusdem auram vitæ jamjam avolantem retinendam idoneas, suspicandum collegit. Inde alimenta & medicamenta audiere naturales substantiæ, prout, corpus humanum aut sanum alerent, aut labefactatum reficerent. Ad ipsius compagem solvendam, nituntur extùs quidquid est corporum, tùm gravium tùm durorum, quæ inter cadendum, inter feriendum, inter cædendum nos offendere possunt; intùs è contrà, dum invertitur viscerum actio, ipsorum læsiones totius machinæ ruinam moliuntur. Suis itaque à causis, morbi vel externi, vel interni dicti fuere, quibusque curandis diversa fuit à Medicis usurpata therapeia, quam ipsos docuit experientia Eâ parente nata, eâ sub magistrâ adolevit illa pars artis iatricæ, quam *materiam* salutant *medicam*, in quâ, quidquid de medicamentorum viribus & efficaciâ nobis innotuit, haud secùs ac in officinâ ordinatur. Hoc in armamentario, Medico contra morbos arma suppeditantur è triplici regno parata. Longam attamen per ætatum seriem, vegetabili prosapiæ palmam concedentes Medici, tùm mineralem, tùm animalem, quasi respuere visi sunt; at præeunte Chemiæ face, caliginosus discuti cœpit error, & introspici Pharmaceuticus thesaurus, tùm intrà telluris, tùm intrà ipsorum animantium viscera reconditus; in dies igitur magis ac magis splendente Chemiâ, in apricum adhuc ignota producuntur medicamina, & novorum quondam detegendorum spes affulget. Inter innumera quibus de nobis benè merita fuit Chemia beneficiis, haùd mediocris est illud notæ, quo in humoribus alimentorum menstruis, vulnerum lenimen detersivum indigitavit. Itaque quomodo vulneribus glutinandis, ulceribusque detergendis, accomodatus sit succus gastricus demonstrandum.

I I.

SUCCUS audit gastricus, ille, qui in ventriculo propriè dicto animalium cujuslibet generis delitescit, ut alimenta dissolvens, solus digestionis opus perficiat: diversas dotes sortitur (1), prout hæc, vel illa animantibus est vivendi ratio. Vario enim antisepticitatis gradu donatur succus ille, apud animantia herbivora ruminantia, & non ruminantia, carnivora & omnivora, ut experientiis nuper ab Italis tentatis demonstratur. Succus gastricus animantis herbivori, putà bovis si absque miscelâ, temperiei 19° *Thermometri Reaumuriani* per quadraginta octo horas exponatur, nullam patitur mutationem. Si verò in illum immergantur carnis frustula, post octo horas simul cum carne putrescit. Succus gastricus animantium omnivororum aëri expositus, paulatim quæ cum illo in consortium venerat aquâ vaporatione defraudatur, nullo modo in putredinem abiens. Haud secùs sese habet succus gastricus animantium carnivororum; at notandum est quòd hic, admixtis vel sanguine, vel carnibus recentibus seu jam fœtentibus putredini habenas injiciat, dùm è contrà succus gastricus omnivororum animantium, substantias animales ipso irrotatas ad putredinem trahit.

I I I.

EX dictis sequitur, vulneribus sanandis succum gastricum animantium carnivororum, cæterorum antecellere. Obtinetur vulgò sequenti modo è ventriculis *Falconum*, *Milvorum*, *Cornicum*, quæ anteà carnibus duntaxat sunt alen-

(1) Quoad Analysin variorum succi gastrici animantium, vide, si libeat, opus cui titulus est: *Journal de Physique*, *Mars 1785*. pag. 171.

dæ. Illis ter vel quater in die glutienda porrigitur ſpongia, filo annexo è roſtro propendente; cùm jàm ſat madidam ſucco gaſtrico ſpongiam ſuſpicandum venerit, extrahitur fili ope, & liquor contentus exprimitur. Si verò prædatrices non ſint in promptu aves, ad Bovinum ſuccum gaſtricum recurrendum erit, facillimè obtinendum, cùm animale jugulato foràs ſimul & fiſtula inteſtinalis & ventriculus ejiciantur; per linteum tenue dein percolatus, in lagenâ concluditur aſſervandus. Quem ſi in uſum advocare volueris, balneo maris calefiat; ipſo purgentur vulnera & ulcera, ſuper appoſitis linamentis carptis, & ſpleniolo, quibus ſuccus ille affunditur; apparatus alternis horis irrorandus, ſi fieri poſſit, & deligatio bis tantummodò quotidiè ſolvenda.

I V.

SUAM protinùs exerit vim medicamen illud; primùm dolores haud parvos ſuſcitat, brevi leniendos, & etiam penitùs poſt tertiam vel quartam deligationem tollendos; quâ peractâ amandatur inſigniter vulnerum & ulcerum conditio. Propoſitum comprobant experimenta à D. *Toggia Torinenſi* tentata, qui, hujuſce medicaminis operâ, vulnus inveteratum tergus *Equi* occupans, ſanavit. Quâlibet deligatione, ipſi fuit obſervare, vulnus expurgari, & imminui. Paulò poſt tandèm, abſque ullo alio remedio inducta fuit cicatrix. Quæ cùm ſuis votis ſucceſſiſſet experientia, ipſi homines ſubjecit D. *Toggia*. Juvenis quidam 19 annos natus vulnere tibiam deturpante laborabat, ſolitis medicaminibus nullatenùs debellando; tumebant inſigniter vulneris oræ, & ex ipſius fundo carnes ſurgebant luxuriantes; pruritus vexabat tibiam immodicus, ità ut nec quieti nec ſomno indulgere, ægro liceret. Ut in uſum traheretur ſuccus gaſtricus, ſuaſit D. *Toggia*. Per unum & alterum diem digeſtivi vices egit, at mox bonæ ſucceſſit pus notæ, quod citiſſimè fuit conſecuta cicatrix; haud infeliciorem habuerunt exitum D. *Carminati* Medici Paduenſis & D. *Jurine* Ch. Genev. experimenta. Hic ad ulcera inveterata debellanda ſuccum adhibuit gaſtricum, & ad ſedandos dolores qui miſerrimam torquebant mulierem, cujus mammas cancer depaſcebatur. Hæc poſteà æquo expectavit animo diem, quæ vitæ ſimul & malo finem erat impoſitura (1).

V.

SUCCUS, inquient, gaſtricus bovinus, ſi carnibus affundatur, ut conſtat experimentis allegatis, citò putredinem accerſit. — Huic incommodo ſubveniant frequentiores deligationes. Succus, inſtabunt, gaſtricus vehementes parit dolores, ideòque ægrorum exacerbat mala; — at idem exprobandum uſurpatis vulgò medicaminibus, quæ ob eadem vitia carpenda ſunt, non iiſdem extollenda laudibus, ac ſuccus gaſtricus qui doloribus lenitis pungentibus, tetro turpiſſimorum ulcerum odore temperato, ea deterget, laudabiliorem efficit ſuppura-

(1) Voir le Mémoire de M. Sennebier. *Journal de Phyſique*, Mars 1785.

tionem, & cicatricem promptissimam inducit. Quibus perpensis haud levioris momenti rationibus, quis nobiscum non concludat?

Ergò Vulneribus & Ulceribus Succus gastricus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius MATHEY.

M. Joannes Baptista-Josephus THÉRY.

M. Joannes-Franciscus MARINIER, *Chirurgiæ latino idiomate Professor designatus.*

M. Ludov.-Carolus HALLOT.

M. Joannes-Jacobus LEROUX DES TILLETS.

M. Augustinus ROUSSEL DE VAUZESME, *Nosodochii Stampensis, nuper Medicus.*

M. Ludovicus-Joannes-Baptista COSNIER.

M. Petrus-Augustus ADET.

M. Stephanus-Ludov. GEOFFROY, *Eques, Regis à Consiliis & Secretis, in Urbis Præfecturâ Medicus, Societatis Botanicæ Florentinæ, necnon Patrioticæ Stokolmiensis Socius.*

Proponebat Parisiis, PETRUS-AUGUSTUS ADET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author. A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.